









DECRETUM
CURIÆ PARLAMENTI
Parisiensis.

Vi cuius

PROPOSITIONES QVÆ-
DAM, CONTENTÆ IN DECLARATIO-
ne Facultatis Theologicæ Parisiensis, circa auctoritatem
Papæ inferendæ sunt Actis publicis dictæ Curie, & ad omnes
Diæceses atque Universitates publicas
transmittendæ.

Die 30. Maij 1663.

E Sermone Gallico boni publici causa in Latinum
translatum

A

THOMA STEGERO, SS. Theol. Bacc.
& Eccles. Lipsiens. Min.

Ut & Judicium Parochorum Gallie de sententiâ Jesuitarum
circa infallibilitatem Pontificis in quæstionibus facti.

A N N O

M. DC LXIII.



DECRETUM
CURIAE PARLAMENTI

Basiliensis

N. 157

PROPOSITIONES QVAE
DAMNOSAS IN DECLARATIO

ne facultatis Theologicae Parisiensis, circa anctoritatem
Papae in doctrinae sua publicis Curiae, & ad omnes
Diveses prout Universitates publicas
transmittenda

Et sermone Gallico hinc hinc publicis in Facultate
translatum

THOMAS STEPHANUS, Theol. Bacc.

& Rector Episcopi. Min.

Ut & Joannis Facultatis Galliae de sententia Joannis
circa illi hinc hinc in quibusdam locis

M. 157

M. DC. LXXII





EXCERPTUM EX PROTO- COLLO PARLAMENTI.



Ac die Ministri Regij per Dominum Dionysium Talonium Advocatum Regium Curia proposuerunt, quod Syndicus Facultatis Theologicae unà cum septem alijs dictae Facultatis Doctoribus Senioribus, qui juxta tenorem hesterni Decreti huc vocati fuerant, in Atrio Ianitorum comparuerint. Quibus postea intrantibus Summus Praeses dixit, quod Curia eos hunc in finem accersiverit, ut Declarationem Facultatis Theologicae circa auctoritatem Papae exhibeant. Cui Decanus dictae Facultatis respondit, sese cum reliquis jussu Curiae attulisse nominatam modo Declarationem, prout ea ex Actis Facultatis sit extracta & à Bedello subsignata, hoc modo:

Primò non esse doctrinam Facultatis, Summum Pontificem aliquam in temporalia Regis Christianissimi auctoritatem habere; immò obstitisse Facultatem etiam ijs, qui indirectam tantummodo voluerunt esse illam auctoritatem.

Secundò, esse doctrinam Facultatis, quod Rex Christianissimus nullam omninò agnoscit nec habet in temporalibus superiorem præter Deum, eamque esse antiquam doctrinam, à qua nunquam recessura sit.

Tertiò, doctrinam Facultatis esse, quod subditi fidem & obedientiam Regi Christianissimo ita debent, ut ab ijs nullo prætextu dispensari possint.

Quartò, eandem Facultatem non probare, nec probasse unquam propositiones ullas, Christianissimi Regis auctoritati, aut germanis Ecclesiae Gallicanae libertatibus & receptis in regno Canonibus contrarias: verbi gratia, quod Summus Pontifex deponere possit Episcopos adversus eosdem Canones.

A 2

Quintò,

Quintò, doctrinam Facultatis non esse, quod Summus Pontifex sit supra Concilium Oecumenicum.

Sextò, non esse doctrinam nec dogma Facultatis, quod Summus Pontifex nullo accedente Ecclesie consensu sit infallibilis.

Prælecta est hæc Declaratio in præsentia Ministrorum Regiorum & dictorum Doctorem. Quibus discessis, Regij per os Domini Dionysij Talonij dixerunt, quanquam Veritas antiquorum Canonum suo satis subsistat pondere, nec ullis opus habeat suffragijs aut approbatoribus; multum tamen ei accedere, si universi in eandem quasi concurrant sententiam, nec ulla animorum appareat divisio. Neminem ignorare ausus atque technas, quas per triginta jam annos Aulae Romanae adherentes, ad extollendam per falsas prærogativas Papæ potentiam, & introducendas novas Ultramontanorum opiniones fabricarint. Et eò tandem rem istam progressam esse, ut postquam falsas istas ac periculosas propositiones secretò scriptis suis insinuarint, haut veriti sint Thesis easdem palàm inserere, & ad disputandum publice proponere. Hanc autem temeritatem minimè mansisse impunitam, quippe augustum hoc Collegium, unanimiter fervens Zelo propugnandi auctoritatem Regiam, Leges Regni, libertatem Ecclesie Gallicanae & doctrinam antiquam, quibus ista de Papæ infallibilitate & supra Concilium superioritate opiniones è diametro sunt oppositæ, haud intermisisse maturè hos ausus per decretorum severitatem reprimere, atque ipsos adeo auctores punire: ita ut verè dici possit, quod monstra hæc in ipsa nativitate sint suffocata, isti que conatus nullos prorsus nacti sint successus; quin potius ad confirmandam fortius veritatem, ad detegendam turpitudinem, & ad confusionem emissariorum aulae Romanae, quam plurimum contulerint. Nihilominus Facultatem Theologicam, forti Monachorum & Secularium quorundam cabalâ quasi intricatam, & ab ijs vel lucri vel factionis causa ceu captivatam, vix sese iniquis his vinculis extricare potuisse, ut insisteret vestigijs Gersonum, aliorumque hominum illustrium, qui omni tempore præcipui veritatis defensores extiterant: Tandem tamen postquam generoso conatu perpenderit, quid Regi, quid publico, quid proprio honori debeat, animi sensa explicasse, & condemnasse omnes istas
novi-

novitates, tanquam errores ejusmodi, qui censuram evitare non possint. Et sicuti & istæ Propositiones, à Decano modò prælectæ & explicatæ, contineant condemnationem non solum omnium eorum, quæcunq̃ue pro stabiliendâ Papæ superioritate super temporalia, afferri possint, sed etiam Chimæræ istius infallibilitatis & imaginariæ dependentiæ Concilij à Papa: ita supervacaneum esse examinare. Num omnes hæ Propositiones conceptæ sint in terminis affirmativis? siquidem certum sit, non dari medium inter duas propositiones contradictorias. Quod si ergo non credat Facultas, Papam esse infallibilem, sequi per necessariam consequentiam, quòd ea judicet, Papam posse prolabi aut induci in errorem & corrigi etiam à Potestate superiore, quæ non possit esse alia, quàm Concilij & Ecclesiæ universalis. Præterea omnes in eo consentire, dari quandam subordinationem; hoc igitur concessio, Papam non esse supra Concilium; sequi necessario, illum esse infra Concilium, & subiectum esse decisionibus ejusdem, ac observationi Canonum. Quemadmodum igitur publico sufficienter sit satisfactum hæc Facultatis Declaratione, idque eò magis, quòd ea omni careat ambiguitate, nec indigeat explicatione aliunde petitâ ex ejusdem Facultatis doctrinâ, utpote ex Censurâ Sarazainij, ex Responsis ad Quæstiones Regis Caroli IX. atque ex damnatione errorum Lutheri: ita æstimare sese è re esse, ut Articuli isti, in Declaratione Facultatis contenti, Actis dictæ Curiæ inferri jubeantur, & exemplaria eorundem descripta à Parlamento ad omnes Baillivatus seu Dioceses & Academiæ publicas transmittantur, quò ibi prælegantur, publicentur, & registrentur, sive, in acta referantur: ut etiam interdictis publicis prohibeatur, ne ulla doctrina dictis Articulis contraria propugnetur: ut insuper decretum die XXII. Januarij & IV. Aprilis nuper factum executioni tradatur: ut denique iterata interdicta & inhibitiones fiant omnibus Baccalaureis, Licentiatis, Doctoribus, & alijs quibusve, ne propugnent, disputent, legant aut insinuent directè vel indirectè in scholis publicis aut alibi, ullas propositiones, contrarias antiquæ Doctrinæ Ecclesiæ, Canonibus Conciliorum generalium, Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & antiquis decretis Facultatis Theologicæ, sub pœna exemplaris animadversionis: Syndicis autem Fa-

cultatum & doctoribus, qui Actibus præsidebunt, severè interdicitur, ne permittant omninò, propositiones ejusmodi ullis Thesibus inferi, sub pœna, quod ipsimet de his omnibus nomine proprio respondere tenebuntur, & extraordinariè contra illos procedetur.

His propositis Regij recesserunt. Quo factò DICTA CURIA ordinavit & ordinat, ut sæpius nominati Articuli in Declaratione dictæ Facultatis Theologicæ contenti, inserantur in Acta, & descripta eorundem exemplaria ad omnes baillivatus seu dioceses & Universitates publicas transmittantur, quò illic prælegantur, publicentur, & registrentur, sive, in Acta referantur. Prohibuit insuper ac prohibet, propugnare ullam doctrinam dictis Articulis contrariam, tollens hoc ipso Suspensiones factas nuper per Decretum diei XIV. Aprilis; iteravit econtrà & iterat Prohibitiones factas nuperrime per decretum XXII. Januarij & IV. diei Aprilis: præterea inhibuit ac interdicit omnibus Baccalaureis, Licentiatis, Doctoribus ac universis quibuslibet, ne propugnent aut disputent, legant aut insinuent, directè vel indirectè, in Scholis publicis aut alibi ulla propositiones, contrarias antiquæ doctrinæ Ecclesiæ, sanctis Canonibus, decretis Conciliorum generalium & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ ac antiquis decretis Facultatis Theologicæ, sub pœnâ animadversionis exemplaris: Syndicis itidem tam Facultatis modò nominatæ, quàm cæterarum Universitatum, & Doctoribus, qui præsidebunt Actibus publicis, interdicitur, ne patiantur ejusmodi Propositiones inferi ullis Thesibus, sub pœna, ut ipsi de illis proprio nomine respondeant, & procedatur contra illos extraordinariè. FACTVM in Parlamento trigesimo die Maij Anno Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo tertio. Collatum, vel Recensitum.

Signatum, ROBERT.

VER-

VERSIO LATINA

Sententiæ Parlamenti Parisini,
Contra disput. Theolog. quæ 19. Januarij 1663.

A

M. GABRIELE DRVETO, VILLANOVANO

Baccalaureo haberi debebat

lata d. 22. Jan. 1663.

Ex Actis Parlamenti

HAc die postquam Curia de negotio deliberasset (quod à Re-
gijs, 19. & 20. hujus mensis ei propositum fuerat.) concer-
nente disputationem, quæ dicta 19. die propugnante M.
Gabriele Drueto Villanovano Britone Baccalaureo Theo-
logiæ, in magna Sorbona ordinariâ haberi debebat, & cujus se-
cunda thesi dicitur: Christus S. Petrum ejusque successores sum-
ma supra Ecclesiam autoritate donavit; tertia: Romani antisti-
tes privilegia quibusdam Ecclesijs, sicut Ecclesiæ Gallicanæ imperi-
tando: octava: Concilia generalia ad extirpandas hæreses, schi-
smata & alia tollenda incommoda admodum sunt utilia, non ta-
men absolutè necessaria: tum plures aliæ propositiones continen-
tur, autoritati Ecclesiæ, antiquæ doctrinæ, quæ omni tempore
recepta & conservata est in regno hoc, sanctis Canonibus, decretis
Conciliorum generalium, & Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus con-
trariæ, ac eò tendentes ut Pontificia ultra Conciliorum generalium
potestatem, & limites, qui semper sanctissimè conservati sunt in
Ecclesia Gallicana, extollatur: postquam etiam audivisset Syndi-
cum Facultatis Theologiæ, & M. Vincentium Meursium Docto-
rem dictæ Facultatis in collegio Navarreno, qui præfata disputa-
tioni præses destinatus erat, nec non præfatum Druetum respon-
dentem, citatos ex sententia 19. hujus mensis, auditis quoque Re-
gijs eorumque conclusionibus; Curia inhibuit ac inhibet & vetat, ut
dictus Druetus disputationem eam sustineat; decrevit & decernit,
ut ea supprimatur, cum omnibus quæ similes propositiones con-
tinere reperientur: Interdicit etiam omnibus Baccalaureis,
Licentiatis & Doctoribus alijsque universis, ne quis scribere, susti-
nere

nerere & disputare, docere vel explicare audeat, directè vel indirectè, in publicis scholis vel ullo alio loco, similes propositiones aliasq; doctrinæ antiquæ Ecclesiæ, sanctis Canonibus, decretis Conciliorum generalium, Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, atque antiquis Facultatis Theol. Parisiensis decretis contrarias, cum interminatione, debito modo animadvertendi in delinquentes. Interdicit etiam Syndico dictæ facultatis, ac qui præsidebunt Doctoribus, ne permittant, ut ejusmodi propositiones ulli inserantur disputationi. Decernit, ut præsens sententia in generali congregatione dictæ Facultatis Theologicæ, quæ primo quoque die, quem Curia designabit, in Sorbona celebrabitur, legatur in præsentia duorum Senatorum dictæ Curia: Qui ad hunc finem eò accedent, cum uno è substitutis Regij generalis procuratoris: ad quam congregationem citabuntur omnes dictæ Facultatis Doctores, quin etiam Baccalauri primæ licentiæ. Ac inseretur præsens decretum in acta dictæ Facultatis: tum significabitur Rectori, Decanis & Procuratoribus reliquarum Facultatum, ut ibi quoque legatur & in Acta referatur, mittaturque ad alias Univeritates, nec minus ad baillivatus & seneschallias, à quibus ad hanc Curiam provocatur, ut ibi pariter legatur, publicetur actisque inseratur cu à substitutorum Regij Procuratoris, qui intra mensem ejus rei fidem Curia facient. Decretum in Curia Supre-
ma. 22. Jan. 1663.

Similia decreta reperies apud Thuan. l. 28. ad An. Christ. 1567. rursus apud eundem l. 114. ad Ann. 1594. trusus in carcerem disputationis auctore & præside, & illo ad publicam revocationem ac deprecationem adacto. Vide & decreta contra Marianæ librum de Regis institutione apud Gramond. l. 1. Hist. Gall. ad an. 1610, & contra librum Santarelli Jesuitæ l. 15. Hist. Gall. ad Ann. 1626. Vbi P. Loco Jesuita cum locijs librum à Generali suo Romæ approbatum damnavit ipsemet, an ex animi sententiâ, judicet Lector.

Sequitur Judicium Parochorum Gallia de sententiâ Jesuitarum circa infallibilitatem Pontificis in quaestionibus facti.

WILH. FELGER
Buchbinderei
HALLE (Saale)
Gr. Nikolaistr. 6.







2

TUM
LAMENTI

sis.

iss

NES QVÆ
N DECLARATIO-

ifiensis, circa auctoritatem
cis dictæ Curia, & ad omnes
erfitates publicas
endæ.

1663.

ublici causa in Latinum
um

O, SS. Theol. Bacc.
iens. Min.

liæ de sententiâ Jesuitarum
is in quæstionibus facti.

VO

LXIII.